

8057 11 [= 6307, 72] *a* in catillo litteris cent. 15 incisus et rubricatis. Pompeiis reg. VII ins. II via nona n. 22 in pistrino adiuncto aedibus Prisci. In meta est n. 8b.
b sub manubrio molae. Pompeiis in aedibus Pansae.
c in molendino Pompeiis ad viam consularum prope tabernam q. d. Fortunatae.
d in catillo litteris cent. 15—25. Pompeiis reg. VI ins. VI n. 47 (Fiorelli *descr.* p. 105).
e in meta litteris cent. 16. Pompeiis reg. IX ins. I n. 3.

a. c. d. e SEX

a Descripsit Dressel. Avellino *Bull. Napol.* 4 (1845) p. 4; Ussing apud Rossium *ann. inst. arch.* 1857 p. 279.
b Ussing apud Rossium l. c. sic: xx .
c Romanelli *viaggio* 1, 125.
d. e Dressel descripsit.

8057 12 in catillo litteris non incisus, sed rubricatis cent. 14. Pompeiis reg. VI ins. XIV n. 30 in pistrino.

B
 C · T · E

Dressel descripsit. *Mau Bull. dell' Inst.* 1878 p. 197.

13 *a* in catillo litteris cent. 12. Pompeiis reg. VII ins. I n. 36 (Fiorelli *descr.* p. 171) in culina pistrini.
b in meta Pompeiis reg. VII ins. II via secunda iacet in via.

a. b v
 ab altera parte:
b I

Dressel descripsit.

8057 14 in catillo litteris cent. 18. Pompeiis reg. VII ins. I n. 36 (Fiorelli *descr.* p. 171), *area delle macine*.

v

Dressel descripsit.

15 in parte superiore. Pompeiis in domo labyrinthi.

H

Ussing apud Rossium *ann. inst. arch.* 1875 p. 279.

16 in fragmento catilli, litteris incisus et rubricatis. Pompeiis reg. VI ins. XIV n. 30 in extrema parte domus.

BK

Descripsit Dressel.

17 in catillo. Pompeiis reg. VIII ins. IV n. 27.

v vel x

Descripsit Dressel.

Signacula Pompeiana et Herculansia.

Signaculorum duo genera fuerunt, alterum anulorum gemmam sive veram sive vitream includentium vel ex auro argento aereve flatorum, alterum anulorum cum adiunctis lamellis aereis (raro plumbeis, v. n. 8059 346 cf. 157) inscriptis. Anulos tabulis litterisve obsignandis praecipue adhibitos plerumque signum solum habuisse comprobatur ipsa signi sive sigilli appellatio; litterae si quae inscriptae sunt, modo nomina significant litteris plerumque initialibus solitariis, modo, rarius tamen, acclamant salutantve (n. 8064 11: *Cromati vivas* cf. 4; n. 8064 20 *Verus et Melfrone duo cari* cet.). In altero genere, quod non reperitur nisi ex aere totum, anulus plerumque et ipse signum quoddam habet simplicissimum, vasculum, spicam, caduceum, similia, vel litteras tales, quales modo diximus; adiuncta autem ei est ex altera parte lamella aenea maior modo quadrata, modo forma piscis soleae cordis orbis aliave quacunque, rarissime ita comparata ut rotundo corpori impressa id ne deprimeret et planum faceret (v. n. 8059 61 et vol. IX sign. n. 466). Harum laminarum usum ut intellegeremus, fecit panis Pompeiis repertus eiusmodi lamina notatus (n. 8058 18 cf. vol. IX sign. n. 190), videnturque plerumque adhibita esse ad cibos ac potus, ut ait Plin. h. n. 33, 4, 26, anulo a rapina vindicandos, ut prout res incidisset aut maius aut minus signum imprimeretur amphoris clausis et edulibus similibusque. Tegularios autem figulosque ad opus doliarium vel vascularium signandum non eiusmodi lamellis usos esse constat. Illi usui recte convenit inscriptionum argumentum. Nam demptis raris notis opificum in interiore parte anuli per scriptis (ut *Iustus* f. 8059 117) nomina ibi leguntur ordinum duorum, alterum dominorum, quorum erant res signandae, alterum officialium qui signabant eas signandasve curabant. Enuntiantur tam haec quam illa plerumque casu genetivo, rarius nominativo et ita quidem, ut interdum, ubi domini nomen secundo casu ponitur, ibi servus utatur primo (n. 8058 15. 8059 32). In priore genere ut numina (n. 8059 1. n. 8064 1) et imperatores (n. 8059 2; vol. IX sign. n. 4), ita senatorii ordinis complures viri, item *procurator summarum* vel *Siciliae* (8059 376), et *procurator Augusti ad Castoris* (n. 8059 168) et *procurator Matidiae Augustae* (vol. IX sign. n. 82) et *evokatus Augg. nn.* (n. 8059 342) comparant, videnturque domini qui enuntiantur (neque enim semper id fit) in

universum homines honestiores fuisse vel certe opulenti aut in procuratore domus imperatoriae locum non infimum tenuisse. Domus perraro adscribitur (8059 226; vol. IX sign. n. 78: *L. Iuli Rufi Uzenti*). Adsunt item, ut consentaneum est, domini plures consortes scilicet, plerumque eiusdem familiae viri (ut 8058 6 *Attioru* similiterque passim; 8059 3 *III soc.*; 8059 366 *Servandus Q. L... P... et C. L... P...*), rarius non coniuncti (8059 62), nec desunt mulieres (n. 8059 18 *Aem. Rufillae c. f. cet.*) pupillive (vol. IX sign. n. 85 *Firmi pup[orum] Umbriorum*). Pompeiana tamen sigilla adhuc muliebri nomen nullum dederunt. — Alterum nomen, scilicet ubi duo adsunt, plerumque servi est (quae condicio interdum enuntiat, ut n. 8058 18. 8059 30. 34. 98. 99. 153. 154. 160. 412), raro ingenui (n. 8058 10). Praecedit modo domini nomen, modo servi. Mulieres in officialibus his nullae inveniuntur. Officium ubi additur, aut *procuratoris* est (n. 8059 191) aut *dispensatoris* (n. 8059 154. 172. 189) aut *actoris* (n. 8059 29. 135. 376), item, sed rerum publicarum tantum, *arcarii* (vol. IX sign. n. 10. 44. 49); si... n. 8059 391 quid significet nescio. Inscriptio lamellae ipsiusque anuli interdum plane eadem est (n. 8059 413), plerumque ita eadem, ut quae in anulo litteris solitariis indicantur, in laminis legantur perscripta. At in aliis manubrii inscriptio inscriptionem lamellae continuat expletque (n. 8058 62: *P. Opetrei | Pulli*; n. 8058 53: *L. Messi | Sex. f.*; n. 8059 311: *Q. Petron | C. f.*; n. 8059 134: *Cytisi Domiti | Calvini*; n. 8059 172: *Fusci A. Vibbi | disp.*); alibi in lamella domini nomen scriptum est, in manubrio actoris procuratorisve (n. 8058 7. 15. 19 cet.). Denique ut in anulis, ita in lamellis quoque, maxime aetatis labentis, acclamationes reperiuntur, ut sunt *Gaudenti nika* (n. 8059 177), *vivas* similiaque (n. 8059 500—503), *utere felix* (n. 8059 505), *gaudeas* (n. 8059 497), *spes in deo* (n. 8059 499 cf. 498), *de dei dona* (n. 8059 496). Omnino inscriptiones anulorum et lamellarum non tam re differunt, quam spatio in illis angusto, in his latius patente; quam ob rem etsi anulos ex metallo nobili gemmasque suo capite (n. 8064) exhibuimus, anulos aereos simplices a lamellis non separavimus.

Hoc capite proponuntur Herculanei vel Pompeiis reperta signacula aenea, reliqua eo quod sequitur. Inscriptiones eorum omnes ita dedimus, ut litterae solito more a sinistra ad dextram currant, cum in